

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*He . 21.*

9

PALÆSTRA OCTAVA  
**THEOREMA-**  
**TUM POLITICORUM,**

*Exhibens,*  
Hominem esse naturã animal  
Politicum,

*Quam,*  
Ad gubernante Deo,  
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

*In*  
*IN ILLUSTRIBUS ALBERTINA,*  
Habebunt,

*PRÆSES*  
**JOHANNES GEORGIUS à Götzen /**  
Nobil. Prusus, & Philosoph. D.

*Et*  
*RESPONDENS*  
**JOHANNES BOKEN,**  
Witmundâ Frisus.

*Add. Septembr. locô horisq; consuetis*  
*Anno 1673.*

---

REGIOMONTI,  
*Typis FRIDERICI REUSNERI.*

PALESTRA OCTAVA  
THEOREMA  
POLITICORUM  
Hominem esse naturam animal  
Politicum  
Ad gubernante Deo  
Consensu Amplissimi Facultatis Philosophicae  
In  
In Universitate Albertina  
Habeant  
P R E S S E S  
JOHANNES GEORGIVS GÖTTICUS  
Nobil. Præf. & Philosoph. D.  
Et  
RESPONDENS  
JOHANNES BOKER  
Wimderstrasse  
Abd. September, loci horum confectis  
anno 1775  
REGIOMONTI  
Joh. FRIDERICI REUSNER



## Bono Cum DEO!

§. 1.

**C**um non parum habeat utilitatis, in negotio summi Boni, unà considerare, *hominem esse naturâ animal politicum*, quippe ex eo sententia nostra de Summo Bono uberius patefcet: Hâc considerandi operâ in præfenti defungemur, in primis, cum & Aristoteles idem circa S. B. consideret l. 1. Eth: c. 7. §. 21. Quod dum facere cogitamus, primum omnium in animo habendum: triplicem dari vitam, aliam fervilem seu voluptuariam, immanem ac Cyclopicam, aliam Civilem, aliam deniq; contemplativam. In tria hæc genera etiã tribuit Arist:; dicit enim: *Tria sunt vitæ genera, quæ maxime excellunt; Unum, quod modò diximus (nempe voluptuarium); alterum Civile, tertium, quod in contemplatione & cognitione rerum consistit*, l. 1. Eth: c. 3. (§) Quibus gemina sunt, quæ leguntur l. 1. Eud: c. 4. *Cum ad vitam bene beateq; transigendam tria veluti potissima bonorum genera ordinata sunt, virtus, prudentia, & voluptas, totidem etiam vitæ genera enasci constat, quas omnes, mentis saltem compotes, adipisci & sectari cupiant. Nempe, Civile, Philosophicum (aliàs contemplativum) & voluptuarium. Idem docet Euftratus, quando dicit: Tres esse præcipuè vitas quæ excellunt, fervilem, civilem, & contemplativam. Comm: in l. 1. Ethic: Arist: c. 7. Ex hoc triplicis vitæ fundamento Philosophus l. 1. Pol. c. 2. arguit, dicendo: *Qui per naturam ἀπολις i. e. sine vita civili est, aut nequam est, aut potior quàm homo. Id est: aut vitam voluptuariam, aut contemplativam vivit. Unde Philosophus eodem cap, circa finem addit: Qui in communi societate nequit esse, aut bestia, aut Deus. Nam qui vitam vivit voluptuariam, bestialem, docente Phil: l. 1. Eth: c. 3, vivit vitam; qui verò contemplativam, vivit divinam. Servilis vita est, in quâ ratio, quæ naturâ domina est, appetitui sensitivo præter naturam servit.**

A 2

Qui

116  
Qui eam vivunt vitā aliisq; vehementioribus vitiosis adfectib<sup>9</sup>  
se permittūt: quippe appetui sensitivo servire, est vehementio-  
ribus ejusdē adfectib<sup>9</sup>, quales sunt vitiosi, v.g. invidiæ, audacię,  
iracuñdię &c. oblequiū in vitā prestare. Porro, quia vita servilis  
rationis excutit dominiū, illi, qui ex ea vivunt, sunt jugi, & al-  
terius domini impatientes. Hinc, quia in omni societate do-  
minium exercetur, societate fugiunt. Quod nec Arist: dissimu-  
lat, dum dicit: Illos, qui à civitate naturā alieni sunt, esse sine  
tribu, sine jure, sine domo; esse bellucupidos, jugi expertes, ut vola-  
tilia. l. 1. Pol: c. 2. Quibus consentit quoq; Eustratius comment:  
in l. 1. Eth: c. 7. §. 20. Ubi expressè ait: *Vita servilis obnoxia adfecti-  
bus est: quæ rationalem animæ partem, quasi servam atq; captivam  
abduci à perturbationibus sinit, ut, quæ naturā domina est, genero-  
sitas suæ oblita, ignobilibus ac prioribus facultatibus seipsa subji-  
cit, ac præter naturam, à naturæ servis subjugetur ac trahatur.* Vita  
civilis est, in qua, ratio, naturā domina, imperat, & appetitus  
sensitivus, naturā servus, illi obtemperat. Quando ratio im-  
perium tenet, tum secundum virtutem vivitur: quia tum mo-  
tus appetitūs sensitivi se rationi attemperat præscribenti; &  
secūdam motus ejus, ad rationē revocatos, vivere, est ex virtu-  
te vivere, *quia motūs ad rationem condocfacti sunt virtutes,*  
etiam docente Plutarcho l. de virt: m. c. 10. Quia porro præci-  
puum rationis munus est, præscribere in societate: Ergo mo-  
tus appetitūs sensitivi ad rationem adsuefacti, respicient ad  
societatem, quod latius postea probabimus. Quod cum ita sit,  
obvium est, eos, qui hanc vitam vivunt, societatem amare,  
amare convivium, cum uxore, cum filiis, cum parentibus,  
cum fratribus, amicis &c: unde & hæc vita dicitur civilis. Qui-  
bus congruunt, quæ habet Eustrat: comment: in lib. 1. Eth: c. 7.  
§. 20. *Vita Civilis est, quæ consistit in moderatione adfectuum.* Post  
pauca addit: *Ille, qui secundum eam vivit, & uxori ad filiorum  
procreatio.*

117

*procreationem jungitur: & filios aliquando, quos susceperit, secum  
inconvicu habet: Cum parentibus interdum, modò cum fratribus  
& amicis versatur. Vita Contemptiva est, in qua intellectus  
suis vacat operationibus, appetitu sensitivò, neq; imperante,  
neq; obtemperante, sed otiosò existente. Cum quibus rursus  
amicas jungit manûs Eustrat. præd. loco, dicendò: Vita contem-  
plativa adfectibus omnibus vacat, & rationalem, & intellectu-  
alem animi partē non solùm procul ab irrationalium servitute con-  
servat, verùm etiam ita retinet, ut ab omni prorsus earum adfe-  
ctione alienæ sint, ac ne minimùm quidem earum brutis operatio-  
nibus indulgeant: Illa verò otiosa, sineq; ullo officio relinquuntur.  
Cum intellectus sit divinum quid, docente Philosopho l. 10.  
Eth: c. 7. etiam hæc vita, in qua suis intellectus vacat operatio-  
nibus, otiosò existente appetitu sensitivò, erit divina. Quod,  
haud invitò Arist:, concludimus, ita enim ipse: Talis (sc:  
contemplativa) vita præstantior esset, quàm homini conveniat.  
Non enim quatenus homo est, ita vivet, sed quatenus divinum  
quid est, si ad hominem respiciamus, sic vita, quæ ex intellectu tra-  
ducitur, si humanæ vitæ comparatur, divina etiam ipsa est. l. 10. Eth.  
c. 7. Jam ex his prædictis vita aliqua debet esse hominis pro-  
pria. Non vita contemplativa: nam eandem homo habe-  
cum aliis immaterialibus substantiis, atq; adeò cum ipso Deo  
communem, quippe divina est. Proinde & Arist: eam Deo tri-  
buit, dicendo: Dei operatio (operatio & vita h. l. idem sunt,  
quomodo actio hominis & vita hominis idem sunt) Contem-  
plativa est l. 10. Eth: c. 8. Neq; vita servilis seu voluptuaria ho-  
minis propria, seu humana est: Nam hæc etiam aliis animan-  
tibus communis est. Vita Servilis est, ut diximus, quæ vehe-  
mentioribus appetitûs sensitivi adfectibus, veluti ferocita-  
te, invidiâ, iracundiâ &c: traducitur. Talis vita multis  
aliis animantibus convenit, sunt enim quædam, quæ naturali*

incitata ferocitate, sanguinem spirant, atq; aliis occidendis insidiantur. Quod idem Philosophus testatur, quando talem ferocitatem avibus adjudicat l. 1. Pol: c. 2. nempe iis, quæ rapaces dicuntur, quales sunt aquilæ, accipitres, vultures &c: Cùm igitur triplex sit vita, videlicet contemplativa, servilis, & civilis; Et verò hominis vita non sit contemplativa, neq; servilis: manifestum evadit, civilem esse hominis propriam vitam, nempe quæ ex virtutibus transigitur. Quibus Philosophus consentit, dicendo: *Operationes secundum virtutem humanae sunt.* l. 10. Eth: c. 8. §. 1.

§. 2. Porro Vita Complativa & immanis est solitaria. Vita quidem contemplativa, ut quæ non indiget sociò: Nulla enim extra se indiget re: est propter seipsam, & sibi in omnib; sufficiens. *Intellectus operatio cùm contemplativa sit, appetere, præter seipsam, finem nullum videtur.* l. 10. Eth. c. 7. Et paulò antè inibi dicitur, *sapiens*, (ille sc; qui vitam contemplativam vivit) *αὐτᾶρξέστω*, *sufficientissimus*. Quibus etiam mirificè consentit Annæus Seneca, qui Epist. 9. ait: *Se contentus est Sapiens, ad beatè vivendum* Quibusdam interjectis, addit: *Sed sapiens eget nulla re, egere enim necessitatis est, Nihil autem necesse est sapienti. Vivet etiam sine amicis beatè. S. B. sapientis extrinsecus instrumenta non querit, domicolitur, ex se totum est, incipit fortuna esse subjectum, si quam partem sui foris, querit.* H. J. Quin vitæ contemplativæ socii impedimènto sunt: quibus etiam cum Aristotele congruit, dicente: *Contemplationi impedimento esse consueverunt plures* l. 10. Eth. c. 8. à quibus nec abhorrent verba Pauli 1. Cor. 7. 32, 35. Idem censendum de vitâ immani, quòd etiam sit in solitudine posita. Omne enim animal, quod naturâ ferocè & immanem ducit vitam, naturâ quoq; defugit societatem, & solivagam amat vitam, quemadmodum accipitres, aquilæ, & vultures: Unde rectè suprâ vita immanis dicebatur societatis impatiens. Vita activa sola non est solitaria, sed socialis. Nemo enim sine socio potest ex ali-

quâ



quã vivere Virtute, nemo extra societatem potest justè, vel liberaliter, vivere. Quibus genuina habet Philosophus, dum ait: *justus iis indiget, erga quos, & quibus cum justè agat: Temperans item simili modò, & fortis, & ceteri singuli* l. 10. Eth. c. 7. Eò digitum intendit Philosophus, quando, ait: *ἀπολις ἂν φῦσιν qui absq; civitate est per naturam, aut nequam est aut potior, quàm homo.* l. 1. Pol. c. 2. i. e. aut bestialis, ac sanguinariae naturæ, aut Dei simile habet, qui solitudinem amat, ne à Dei contemplatione, in qua suas unicè facit delicias, abstrahatur. De quibus deliciis Annæus Seneca laudato loco, nempe l. 1. Epist: 9. sic differit: *Jupiter acquiescit sibi, suis cogitationibus traditus: Tale quoddam sapiens facit: in se reconditur, secum est, quamdiu quidem illi licet suo arbitriò res suas ordinare, se contentus est: & ducit uxorem, se contentus: & liberos tollit, se contentus.* H. J. Quod Philosophus ipse sic explicare videtur, quando l. 1. Polit: circa finem capitis secundi dicit: *Qui non est pars civitatis, aut bestia, aut Deus est,* sc. juxta similitudinem, ut diximus.

§. 3. Vita Socialis & societas idem sunt. Jam verò societates variæ sunt, aliæ sunt simplices, ut nuptialis, paterna, herilis, seu Dominica: Aliæ sunt conjunctæ, ut domestica, Pagana, Civilis. Civilis societas, seu unò verbò, Civitas, est omnium aliarum societatum finis. Quanquam jam in hanc rem aliã disputatione digitum intendimus: latius tamen in eandem excurrere, causa in præsentia postulat. Certum est civitatè esse totum, & omnes alias societates esse ejusdem partes. Quid enim est Civitas? Civitas est, *ἐκ πλείονων κομῶν κοινωνία τέλει* & ex pluribus vicinitatibus, seu pagis perfecta societas, l. 1. Pol: c. 2. Confer: l. 3. Pol: c. 9. & l. 7. Pol: c. 8. Jam quicquid constat ex vicinitatibus, ejus partes quoq; sunt societates domesticæ: Nam pagus, seu vicinitas, est societas, quæ prima ex domibus pluribus constituitur l. 1. Pol. c. 2. Atq; adeò civitas continet quoq; in se societates domesticas, seu domesticæ societates sunt quoq; civitatis partes. Unde & passim apud Aristotelem civitas definitur per societatem ex multitudine domorum constitutam, quemadmodum l. 1. Oecon. c. 1. & l. 1. Pol: 3. Quicquid verò constituitur ex multitudine domorum, id in se tanquam partes continet quoq; societates simplices, nempe nuptialem, paternam & herilem seu dominicam, quippe domus constituitur ex societatibus simplicibus, illis sc. par-

prædictis. Hinc Philosophus ait: *minimæ & primæ partes domus sunt Dominus & servus, maritus & uxor, Pater & liberi* l. 1. Pol: c. 3. & 8. Huic consentit Cicero, qui, *prima societas*, inquit, *in ipso est conjugio, proxima in liberis, deinde una domus communis omnia* l. 1. Offic: II. Ex quibus apparet, quòd societas civilis, seu civitas, sit totum, & cæteræ omnes societates sint ejusdem partes. Quod nec obscure ipse Arist: indicat, dicendo: *societates continet omnes societas, quæ civitas dicitur* l. 1. Pol: c. 2. jam omne totum est finis partium. Finis est *ἡ ἐν ἧ ἑνὴν ἧς ἕνεκα* *cujus gratia cætera sunt*, l. 2. Phys: c. 3. & l. 1. Metaph: c. 3. Eò namq; sunt partes, quòd constituent totum: Unde partes dicuntur esse, *ex quibus totum componitur* l. 4. Meth: c. 25. Quemadmodum elementa, syllabæ, voces sunt propterea, ut totum suum, nempe Orationem constituent, adeoq; partes sunt totius gratiâ, & totum per consequens est finis partium suarum, unde & partes extra totum, vel planè non, vel non debitè munus suum & opus præstare possunt: v. gr. Pedes, manûs, aures &c. munus suum extra hominem facere nequeunt: Inde etiam partes extra totum æquivocè tales dicuntur, pes, manus, auris extra hominem æquivocè tales sunt: Nam, docente Philosophò, *omnia sunt definita opere. Omnia enim, quæ possunt facere suum opus, verè sunt, ut oculus, si videt; quod autem non potest, æquivocè: ut mortuus, aut lapideus.* l. 4. Meteorolog. c. 12. In hoc negotio similiter ferè orationis filum ducit Philosophus, dum alibi ait: *sublatò totò, neq; manus est, nisi æquivocè, ut, si quis dicat lapideam, hæc enim in teriit. Omnia enim opere definiuntur & facultate;* Quare non ampliùs talia, non dicenda eadem esse, sed æquivoca l. 1. Pol: c. 2. Quò etiam respexit Hippodam, apud Stobb: & Dog: Laërt, dicendo: *Si non mundus, neq; sol erit, neq; stella.* Quoniam igitur totum est finis suarum partium, ex quibus constat: Et civitas est totum, cæteræ verò omnes societates sunt ejusdem partes; non jam dubitamus adfirmare, Civitatem esse omnium aliarum societatum finem. Hæc causa est, cur sola civitas inter alias societates summam omnis sufficientiæ obtinet, quod & Arist: unicè civitati tribuit, quod sit *societas πᾶσης ἑξ ἑσῶς πᾶσης τῆς ἀνθρώπων* *habens terminum totius sufficientiæ* l. 1. Pol: c. 2. Si excutiamus singulas societates, civitatè esse propriè & formaliter

ter finem omnium aliarum societatum, evidentiùs cognoscemus. Finis societatis Conjugalis, materialiter quidem, est, procreare liberos; sed formaliter, atq; adeò propriè, procreare liberos; in civitate, sc; in materiam futuram ejusdem; Finis societatis paternæ materialiter est procreatos educare & instituere; formaliter verò, eosdem educare in civitate scil; ad ejusdem statum. Finis societatis herilis materialiter est, pecuniam, & omnis generis opes acquirere; formaliter verò, opes acquirere in civitate, seu, ut eas Dominus habeat, tanquam instrumenta, quibus ad beatam vitam in civitate uti possit. Nec secus censendum erit de aliis societatibus, utpote domesticâ & paganâ, quia hæ ex illis constant. Omnes enim partes habent finem, qui formalem respectum habeat ad totum v. g. finis propositionis est quidem aliquid de aliquo affirmare vel negare, ejus tamen formalis respectus est totum, nempe Syllogismus, sc; affirmare vel negare in Syllogismo; aliàs enim & Enunciationis est, affirmare vel negare aliquid de aliquo, quæ tamen à propositione formaliter, seu ratione, sensu Aristotelicò, differt, nempe per hoc, quod Propositio in Syllogismo affirmet vel neget; Enunciatio verò extra Syllogismum. Idem judicium esto de subjecto & prædicato, quæ sunt partes propositionis, Subjecti finis materialiter est, ut aliud de alio prædicetur; prædicati verò, ut ipsum de alio prædicetur, id quod nomini & verbo, quæ sunt partes Enunciationis, & quoq; ratione à subjecto & prædicato differunt, commune est; sed finis subjecti formaliter est, ut aliud de eo prædicetur in propositione, & prædicati, ut ipsum prædicetur de alio in propositione. Nec aliter res habet cum aliis partibus. Ex quibus palàm est, Civitatem esse finem

B

huma.

humanae vitae, quia civitas finis est vitae socialis seu societatis, & vitam socialem esse vitam humanam, supra ostendimus.

§. 4. Quibus expeditis, hoc porrò in veritatis solidò positum esse dicimus, suam cujusque rei perfectionem esse ejusdem naturam. Sic virilis ætas est omnium perfectissima, hinc homo, cum jam vir est, non cum puer, dicitur verè naturam suam habere. Perfectio equi in eo consistit, ut sessorem suum ferat : Hinc tum equus naturam suam habere dicitur, cum sessorem potest ferre, nec cum pullus est. Similiter & domus, cum perfecta est, nulla sui parte imminuta. Quæ ipsa quoque fundum in Aristotele habent, expressim enim ipse ait: *Quale quidam est τῆς γενέσεως θελεθείσης in generatione perfectâ talem uniuscujusque naturam esse dicimus, ut hominis, equi, domus, l. 1. Pol: c. 2.* Jam verò finis est sua cujusque rei perfectio. Idem innuit Averr: in 7. Phys: 18. dicendo: *Perfectionem rei esse finem rei, in indivisibili collocatum.* In indivisibili, i. e. ut videtur, finis in optimo gradu, cui nec aliquid addi, nec detrahi potest. Quod & sic explicandū existimat Fr. Piccolom. libr. de arte definiendi p. m. 291. Eò quoque dicit simplic: in 7. Pys: *Perfectionem domus consurgere ex impositione ultimæ regulæ* Finis enim est *ultimum & optimum* l. 2. Phys. c. 3. l. 1. Metaph: c. 3. l. 1. Pol. c. 2. & Perfectum est *Ultimum in genere boni*, cui sc: nil addi aut detrahi potest: Et id est optimum. Averr: in 7. Phys: cont. 17. ait: *Unumquodque tunc maximè est perfectum, cum attigerit terminum propriæ Virtutis.* Quò etiam digitum intendit Philosophus, quando opus artis perfectum definit, *cui nihil potest addi aut detrahi.* l. 2. Eth: c. 5. §. 21. Cum sua cujusque rei

rei perfectio sit natura ejusdem: Patescit, finem, ut qui sua  
 cujusq; rei perfectio est, esse naturam ejusdem. Quibus  
 consentit ipse Philosophus, qui, ἡ φύσις, αἰτ, τέλει ὅτι, *natura  
 finis est* l. 1. Pol: c. 2. Quod si verò finis: est sua cujusq; rei  
 natura; & vero civitas vitæ humanæ finis: evidens est,  
 vitam humanam tum habere suam naturam, cum hunc  
 finem obtinuerit, ut in societate civili, seu civitate, sit. O-  
 mne enim totum sic finis est partium, ut partes sint in toto,  
 non ut sint totum: adeoq; & Civitas sic est finis cætera-  
 rum societatum, ut eæ sint, in Civitate. Si humanæ vitæ na-  
 tura est, esse in civitate, etiam hominis est: Nam quicquid  
 de vita alicujus dicitur, id etiam de eo dicitur, cujus est vita:  
 ex: grat. de vita contemplativa dicitur, quòd sit divina, idē  
 quoq; dicitur de illo, cujus est illa vita, quòd sit divinus:  
 De vita immani dicitur, quòd sit bestialis, idem de eo, qui  
 vitam immanem vivit, quod etiam sit bestialis. Hinc Ari-  
 stot: non magis de vita contemplativa & immani, quàm  
 de subjectis ejusdem dicit, quod sint divina vel belluina.  
 Dicit enim: homo extra civitatem, i. e. is, qui vitam con-  
 templativam, & is, qui immanem vivit, *aut Deus est, aut be-  
 stia* l. 1. Pol: c. 2. Adeoq; hominis natura est, esse in Civitate,  
 & per consequens, est animal, naturâ appetens, esse in civi-  
 tate. Hinc Arist: *naturâ appetitio ad societatem civilem in  
 omnibus* (scil: hominibus) est. l. 1. Pol. c. 2. Adnotetur, hinc na-  
 turam habere ad aliquid, naturâ appetere aliquid, & naturâ  
 hoc aliquid esse, unum idemq; sapere.

§. 5. Esse in civitate, non est, esse intra mœnia,  
 muros, valla & c. alicujus urbis, sed cum multis sui simili-  
 bus esse in communi operatione, pro obtinendo eo, quod  
 omnibus & singulis conducatur: Hinc Græca vox πόλις de-

scendit ἀπὸ τῆς πόλεως, quod significat, cum multis conver-  
 fari. Quò respexit Pompejus in Oratione, quam habuit  
 ad senatores, equites, & exercitum universum, dicendò:  
*Athenienses urbem suam quondam deseruere, milites, dum  
 pro libertate bellum gererent, rati, viris civitatem conservare, non  
 mœniis & ædificiis: Quò factò, brevi receperunt multò cla-  
 riorē, quàm antea: Et nostri majores excessere urbe, Gallis  
 irrumpentibus, quam Camillus incolumem recepit, accurrens  
 ab Ardeâ. Deniq; omnes, qui sapiunt, ubicunq; libertatem  
 tueri datur, ibi patriam existimant, quod & nos cogitantes, huc  
 trajecimus, non desertores patriæ, sed potissimum propugnato-  
 res instructissimi* Appian: Alexand: l. 2. de Bellis civilibus,  
 pag. secundum edit: Alexand. Tolgii 753 & secund: edit Pary-  
 siensem Heinr: Stephani 459. Quando verò homo est  
 animal, quod natura appetit, esse in civitate: enotescit, ho-  
 minem esse tale animal, quod naturâ appetit, cum multis  
 sui similibus, in communi esse operatione, pro obtinendo  
 illò bono, quod omnibus conducatur. Unde Philosophi, ex  
 cujusvis hominis officio esse, statuerunt, ut pro commu-  
 nitate & societate, in qua agunt, non solum facultates, sed  
 & vitam ipsam, si res ita tulerit, profunderent, quippe in  
 naturâ omne, quod est alterius, alterum magis, quàm se  
 ipsum naturali amore diligit: unde & pars quævis absq;  
 deliberatione seipsam pro totius conservatione destru-  
 endam exhibet: veluti manus exponit seipsam ictui absq;  
 deliberatione pro conservatione totius corporis. Quibus  
 subscribit Thomas, part. 1. quæst. 60. art. 5. ut & Cajetanus,  
 similiterq; Scotus, 3. Distinct: 27. quæst: 1. Qua de causa  
 Veteres Philosophi sæpe in scriptis suis adverterunt, homi-  
 nem hominis causâ esse, Chrysippus apud Cic: l. 3. de fini-  
 bus

bus n. 67. & secundo de natura Deorum, ait: *quæ in terris gignuntur, omnia ad usum hominum creari. Homines autem communitatis, & societatis suæ causâ.* Antequâ verò hoc Chrysippi adduxerat, eandem suam esse mentem, priùs sic declaravit: *Quemadmodum enim membris utimur priùs quàm dicimus, cujus ea utilitatis causâ habeamus; sic inter nos naturâ ad civilem communitatem conjuncti & consociati sumus. Quod nî ita se haberet, nec justitiæ ullus esset, nec bonitati locus.* l. 2. de fin: bon: & mal: n. 66. Ut quoq; in hæc de suo conferat ingeniosissimus Seneca, producemus primo, quæ l. 1. de ira c. 5. dicit: *Homo in adjutorium mutuum creatus est; atq; inde infert, homini non esse indulgendum iræ, ut quæ homini in exitium est.* Deinde quod Ep: 95. docet: *Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem & in eâdem gigneret, hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, illa æquum justumq; composuit, ex illius constitutione miserius est nocere, quàm ladi, & illius imperiò paratæ adjuvandum manus.* Cum quibꝰ amicas jungit manûs & Lucanus de Catone l. 2. dicens: *Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.* Horum similia passim habet Marcus Antonius, is l. 2. §. 1. inquit: *ad mutuas operas nati sumus, quomodo pedes, manûs, palpebræ, dentium superiorum inferiorumq; ordines.* Et l. 4. §. 3. hæc inducit: *perpende, quòd homines alter alterius causâ nati sint.* Quod idem repetit l. 8. §. 56. & alibi passim. Quale verò est hoc animal, quod cum aliis sui similibus pro obtinendo bono, omnibus & singulis conducenti, in communi est operatione? Est animal civile. Idem indigitat Aristoteles, qui postquam in genere animalia dispescuerat in ἀγελᾶια, congregationis animantia, & μοναδικὰ solivaga: Et animalia ἀγελᾶια dixerat esse hominem, apem, formicam, gruem

*οναδικα* verò aquilas, Vultures, &c.: proximè animalia *ἀνε-  
 λαία congregationis amantia*, tribuit in gregatilia & civilia.  
 Gregatilia dicit esse, quæ aut simul natant, aut simul volitant,  
 aut ambulant, ut victum eodem loco quærant ac sumant,  
 ut oves &c: Civilia verò dicit, *quæ unum quoddam omnibus com-  
 mune opus elaborant*, ut apes, formice, grues &c. l. i. hist: ani-  
 mal. c. i. Unum omnibus commune opus elaborare, hic ni-  
 hil aliud est, nisi cum multis sui similibus, certò ordine, pro  
 eò obtinendo, laborare, quod omnibus & singulis condu-  
 cat. Sumamus, apes, quas Arist. inter animalia civilia,  
 locò exempli, collocavit, & rem ita habere, cognoscemus.  
 Apes certum quasi dignitatis ordinem inter se servant,  
 agnoscunt enim unum ceu Regem, qui summam imperii  
 obtineat, cui reliquæ apes, tanquam subjectæ obediant,  
 hic apum Rex labores inter apes distribuit, proventus con-  
 servat, & curam aliarum omnium apum gerit. Audiamus,  
 quid Xenophon de apum Rege dicat: *Ac mihi, inquit, vi-  
 detur, etiam apis illa, quæ cæterarum Dux est, sibi divinitus  
 præscripta constanter elaborare. Quenam verò, ait, hæc, apum  
 illa Dux opera tractat, illis actionibus consimilia, quæ mihi con-  
 veniunt. Quod illa in alveari manens, otiosas esse apes non  
 patitur, sed quas foris laborare oportet, eas ad opus emittit, &  
 quicquid attulerint singule, novit, & accipit, tamq. diu servat,  
 donec eo sit utendum. Id vero tempus, ubi jam adest, justam  
 cuiq. partem tribuit. Præest etiam favis, qui intus texuntur,  
 ut rectè celeriterq. texantur: Et fœtus, qui nascitur, educandi  
 curam habet. Is posteaquam educatus est, jamq. operi facien-  
 do idoneæ sint apicula, Coloniam ex ipsis deducit, adjunctâ  
 ipsi quadam, quasi nepotum duce l. 5. de Administr: dom: text.*



839. p.m. 203. Quibus gemina habet Annæus Seneca :  
*Apum Regi, inquit, amplissimum cubile est, mediòq; ac tutissimò*  
*locò. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum,*  
*& amissò Rege, totum dilabitur examen.* l. i. de Clementia c. 19.  
 p. m. 478. Apes ordinem quoq; servant in laboribus,  
 eosdem enim inter se partitos habent, nonnullæ illarum  
 mel apportant, nonnullæ aquam, nonnullæ ceram: ex  
 qua aliæ domunculas architectantur: Unde Ælianus, ci-  
 tante Cœl; Rhodig. l. 23. Lect: Antiq: c. 35. quasdam vocat  
*apes duces, quasdam sirenes, quasdam portatrices, quasdam*  
*plastides.* Conf: Arist: l. 9. Histor: Animal: c. 40. Omnia  
 verò hæc in hunc finem, ut apes communi operâ id sibi  
 comparent, quod omnibus & singulis conducat. Idem  
 etiam de gruibus censendum. Athalarius, Rex Gothorum,  
 de gruibus scribit hoc: *Grues moralem quandam novêrunt*  
*exercere concordiam, inter quas nulla privata queritur, quia*  
*iniquitatis ambitus non habetur: vigilant vicissim, communi*  
*cautelâ sese custodiunt. Sic honor nullus admittitur, dum*  
*omnia sub communione servantur. His etiam volatus, vicariâ*  
*æqualitate, disponitur, ultima sit prima, & quæ primatum*  
*tenuit, esse posterior non recusat &c. voluntariè serviendo,*  
*liberæ sunt* Cassiod: l. 9. Var: c. 2. in edicto contra Curiales,  
 citante sic Tholosano in Syntagmat: Juris Univers: l. 18.  
 c. 5. dist: 6. p. m. 548. Jam cum id sit animal civile, quod  
 cum multis sui similibus laborat pro eo obtinendo, quod  
 omnibus conducat: Et verò homo naturali appetitu ad  
 hoc incitatur, ut cum multis sui similibus omnibus com-  
 mune bonum elaboret: Non obscurum est, hominẽ naturâ  
 esse animal politicum, seu Civile, quoniã, ad quod aliquid  
 natu-

naturali appetitu fertur, idem est naturâ. Unde etiam Aristot. non tantum expressè passim, ut de multis l. 1. Pol. c. 2. dicit: Quod homo sit naturâ animal politicum, sed & eundem inter alia animalia Politica, quæ l. 1. Hist: Animal. c. 1. enumerat, in primis ponit.

§. 6. Animalia civilia, seu Politica, sunt, ut paulò antediximus, quæ cum sui similibus, in communi versantur operatione, pro eo obtinendo, quod omnibus conducit; Id verò quod omnibus animalibus conducit, non est unius generis, vel est vitæ jucunditas, vel vitæ honestas simul: unde & duplicis generis sunt animalia Politica, quædam quæ laborant pro obtinenda vitæ jucunditate solâ: quædam quæ pro obtinenda, & vitæ jucunditate, & vitæ honestate simul. Animalia Politica, quæ laborant pro obtinenda vitæ jucunditate, seu quorum finis est unicè vita jucunda, sunt, quæ merè ex sensu vivunt: sensûs enim sunt jucundorum & molestorum gratiâ, ut illa jucunda sectentur, & molesta fugiant! Hinc, quæ ex sensu vivunt, natura facultate concupiscibili, & irascibili instruxit, ut concupiscibili jucunda sequantur, irascibili verò molesta avertentur. Quod ipsum & Rhodiginus (quem Scaliger Varrone majorem existimat, Dempsterus virum admirandæ eruditionis, Erasmus, virum, qui inexplebili legendi aviditate per omne genus auctorum circumvolitavit, in adag: p. 629. vocant.) ex aliis docet, dicendo: *Animalis virtus sensum producit, tum interiorem tum exteriorem, atq; item voluntarium motum: Huic quoq; virtuti concupiscibilis pars atq; irascibilis attribuitur à beato Thoma, quæ portiones sunt sensitivi appetitus. Concupiscibilis admoveri suadet, quæ necessaria videntur aut utilia, & id voluptatis ratione: Irascibilis noxia repellit, ferturq;*

ad

*ad ultionem praeceptis* l. 2. Antiq. Lect: c. 26. Eò fine quoq; Eustratius comment in l. 9. Eth: c. 9. §. 8. essentiam animalium esse dicit, facultatem habere sentiendi molesta ac jucunda, ita enim ipse: *definitio & ratio essentialis vitae animalium est, jucundorum & molestorum cognitrix potestas, b. e. potestas ac facultas, quæ ea sentit ac dignoscit, quæ vel voluptate afficiunt, vel dolore.* Quia animalia politica illa, quæ ex merò sensu vivunt, pro fine habent jucunditatem vitæ, facilè colligere est, quænam illa animalia politica sint. Suprà inter animalia politica nominavimus hominem, apem, formicam, gruem. Quia verò præter hominem apis formica, grus, ex merò tantùm sensu vivunt, illa animalia in communi operatione suâ versabuntur, pro vitæ jucunditate obtinendâ. Animalia autem Politica, quorum finis est vitæ honestas, sunt ratione prædita, quæ sunt homines tantùm: iis enim solùm ratio convenit. *Ratione solus homo præditus est* l. 7. Pol: c. 13. circa finem. *Solus homo consultans animal est*, Eustrat. in l. 9. Eth. Arist: c. 9. §. 28. *Consultare verò & ratiocinari, idem sunt* l. 6. Eth. c. 2.

§. 7. Vitæ honestas, seu honestum, nihil aliud est, quàm vita, seu actio secundum virtutes. Nam, *Honestum*, docente Arist:, *est Virtutis finis* l. 1. m. m. c. 2. Et verò finis virtutis, nihil aliud est, nisi ejusdem actio. Quò respexit quoq; Cicero, dicendò: *Ita, si beata vita honestate cernitur, quod honestum est, id solùm bonum habendum est* l. 3. de fin. bon: & mal: p. 110. n. 28. Nullum autem animal potest secundum virtutem agere, nisi quod ratione est præditum: quippe actio virtutis, est finis rationis: nam unicè ratio præfiniendò ac dirigendo producit habitum virtutis, sc: in appetitu sensitivò: Hinc virtus moralis dicitur, *Habitus proæreticus in mediocritate consistens, prout recta ratio præscribit*

C

l. 2.

l. 2. Eth. c. 6. Virtus mor: dicitur moderari perturbationes, præfinitæ ac dirigente ratione l. 6. Eth. c. 1. Habitū verò virtutis ratio producit, actionis ejus gratiâ, ut homo secundū virtutem, à ratione productam, agat: atq; adeò actio virtutis, immediatè provenit quidem ab habitu *Virtutis*, nihilominus, mediante habitu *Virtutis*, provenit etiã à ratione, ut itaq; actio *Virtutis* sc: perfectâ, non solùm virtutis, sed & rationis finis sit. Quia aliquid tum perfectionē suam habere dicitur, cum suum, ut suprâ docuimus, obtinuerit finem: ut, cum homo finē obtinet, & scil: est in civitate, tum dicitur perfectam hominis naturam habere: Hinc quando homo, secundum *Virtutem* agit, tum ejus ratio dicitur esse perfectâ. Hæc causa est, cur, cum actio *Virtutis* sit hominis finis, ratio tamen perfectâ, ejusdem finis dicatur. *Ratio & intelligentia hominis natura finis* l. 7. Pol: c. 15. Quibus gemina habet Seneca: *In homine optimum quid est ratio: hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfectâ, proprium hominis bonum est. Cetera illi cum animalibus communia sunt. Valet? & Leones. Formosus est? Et pavones: Velox est? Et equi & c: Paucis omissis adjunctiora his habet: Quid in homine, inquit, proprium? Ratio, hæc recta ac consummata, felicitatem hominis implevit. Ergo si omnis res, cum bonum suum perfecit, laudabilis est, & ad finem nature sue pervenit; homini autem suum bonum, ratio est, si hanc perfecit, laudabilis est, & finem nature sue attigit. Hæc ratio perfectâ *Virtus* vocatur, eademq; honestum est. Id itaq; unum bonum in homine est, quod unum hominis est. Epist. 76. p. m. 683. Cum verò actio virtutis, seu honestas, finis sit unicè illorum animalium Politico-rum, quæ ratione prædita sunt, vitæ; Et verò, homo solus sit animal tale, quod ratione præditum: non obscurum est,*

est, honestatem vitæ esse finem hominis solius, atq; adeò hominem solùm esse animal politicum, cujus finis sit honestas vitæ.

§. 8. Deinde notemus, quòd sermo sit hominis proprius. *Sermonem*, inquit Philosophus, *habet homo solus, omnium animalium*. l. 1. Pol; c. 2. Animalibus quidem brutis, vox data est, non verò sermo, seu oratio, quæ sunt variæ voces ex institutò significantes. Conf. Diogenes Laert. in vitâ Platonis p. m. 213. Dices, sunt quædam animalia, verbi gr. aves sequentes, Psittaci, corvi, & picæ, quæ voces varias ex institutò significantes proferunt, adeòq; oratione utuntur. Verù negamus, aves illas, ex institutò significantes, voces proferre: Nam in voce, ex instituto significante, occurrunt 1. Res 2. Notio mentis. 3. Vox ipsa; Notio mentis concipitur de re in mente & anima, Vox verò significat immediatè notionem mentis, & mediante notione mentis, connotat rem, de quâ notio mētis concepta, v. g: Vox aquæ signat notionem mentis, de aquâ ipsâ conceptam. Ex quibus constat, necesse esse, ut existente voce, sc: exstituto significante, notio simul existat in mente. Idem censere videtur Cicero, dum ait: *Ad usum orationis incredibile est, nisi diligenter attendaris, quanta opera machinata natura sit. Primum enim à pulmonibus arteria, usq; ad os intimum pertinet: Per quam vox, principium à mente ducens, percipitur & funditur* l. 2. de nat: Deorum, n. 149. Eadem ferè habet Diogenes Laertius, dum ait: *Oratio est vox significativa, que ex mente profiscitur* l. 7. de vitis Philosoph. p. m. 395. Sed nihil horum de vocibus articulatis Psittacorum, corvorum & picarum; hæ enim omnes aves, destitutæ sunt mente, atq; adeò notione mentis, ut quæ est operatio mētis; quod verò destitu-

132  
tum alicujus operationis facultate, id sit destitutum, oportet, ipsâ quoq; operatione: Ut, quod caret intellectu, caret quoq; contemplatione, intellectûs scilicet operatione. Cùm verò sermo sit hominis proprius, non erit ille in homine frustra; *nihil enim frustra natura facit.* l. 1. Pol. c. 2. Conf. Alexand. Aphrod. de fatò p. m. 53. Frustra id dicitur esse, *quod nullum finem habet.* l. 2. Phys. c. 6. È contrariò, quod non frustra est, id aliquem habet finem. Quem jam finem sermo, seu oratio, in homine habet? Oratio est vox composita quæ significat notionem mentis seu rationis (mens & ratio h. l. idem sunt) seu ea, quæ ratione concipiuntur; Ea verò quæ ratione concipiuntur, sunt media, seu quæ ad finem ducuntur. Nam ratio & consultatio idem sunt l. 6. Eth. c. 2. Consultatio verò est de mediis, seu iis, quæ ad finem ducuntur. *Non consultamus de finibus, sed de iis, quæ ad finem ordinantur.* l. 3. Eth. c. 5. In primis verò ratio est de iis mediis, quæ ad beatitudinem civilem, quæ est finis hominis, ordinantur: quippe rationis finis, ut suprâ ostendimus, est actio Virtutis perfectæ, quæ est beatitudo civilis. Quicquid verò est de mediis, & habet pro fine beatitudinem civilem, id est de iis mediis, quæ ad beatitudinem Civilem ordinantur. Cùm verò oratio est eò, quò significet ea, quæ ratione concipiuntur; & verò ratione concipiuntur media, quæ ad beatitudinem civilem ordinantur: evidens est, quòd sermo, seu oratio sit ad id, ut significet media ad beatitudinem Civilem, seu ea, quæ conducunt ad beatitudinem civilem. Quæ verò sunt illa media, quæ ad beatitudinem civilem obtinendam conducunt? sunt justa: Siquidem, docente Arist: *ea justa dicimus, quæ eundem moviunt beatitudinem civilem, ejusq; partes civili societati*  
E

133

*Et efficiunt Et conservant* l. 5. Eth. c. 3. Et paulò post; *Justitia agit ea, quæ alteri conducunt, aut Principi, aut Reipubl: l. cit. Jus est, quod communiter conducit.* l. 8. Eth. c. 11. Adeòq; sermo datus nobis est, ut justa significemus. Idem apertè fert Philosophus, dum expresse dicit: *At sermo ad hoc datus est nobis, ut ostendamus utile Et noxium* (scil. ad beatitudinem civilem) *atq; ita justum Et injustum* (Rectè Arist. addit *Et noxium Et injustum*, nam quicquid est de uno contrariorum, idem etiam de altero est) *Hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium est, ut boni ac mali, justi ac injusti, Et aliorum hujusmodi sensum habeant soli.* l. 1. Pol. c. 2. Sic homo quoq; in statu solitario cõstitutus, vitæ contẽplativæ incumbens, sermone uti potest, nempe ad celebrandum nomen Dei. Verùm aliud est finis seu usus rei proprius, & aliud usus improprius: idem docet Philosophus, qui apertè distinguit *inter finem, usum alicujus rei proprium, Et non proprium.* Usus proprius dicitur, ad quem res aliqua primò facta est. Usus rei non proprius, ad quem aliàs res adhibetur, E. g. Clavis ab artifice facta est ideo, ut eà, quod occlusum est, referetur; Verùm præter hunc usum proprium ad alios improprius usûs adhiberi potest, scil: ad significandum sonum, ex quo cantio institui debet, ad clavum parieti infigendum &c. Calcei usus proprius est, pedem munire; sed potest etiam adhiberi, ad aquam hauriendam, si aliud desit instrumentum. Domûs usus proprius est, inhabitari; sed potest eadem & permutari cum aliquo, ut quis vicissim accipiat. Sermo homini à natura primò datus est, ad significandum ea, quæ ad beatitudinem civilem in societate conducunt, seu quæ justa sunt, circa talia etiam oratio forensis versatur. Hic sermo autem, etiam ad alios applicari potest usûs, potest

minis

C 3

applicari

74  
applicari ad docendum, proinde & sermo organon didascalicum Platoni in Cratylò dicitur: potest applicari ad celebrandum Deum in statu solitariò. Verùm hic usus sermonis non est proprius & primò intentus: In vita contemplativa, qualem vivit, qui agit in statu solitario, adeò non, ut ea finem suum citra sermonem commodè obtinere possit, quomodo evidens est, in intelligentiis cœlestib⁹. Vox simplex multis animalibus brutis data est, ad significandum ea, quæ jucunda vel molesta sunt. Idem indicat Philosophus, quando ait: *Vox molesti atq; jucundi significatio est, quapropter aliis quoq; existit animalibus. Hucusq; enim natura processit in iis, ut sensum haberent jucundi atq; molesti, ut hoc inter se significare possint, l. 1. Pol. c. 2.* Ita pulli absentiam matris, famem, frigus &c: molesta esse sentiunt, & eadē voce indicant: & molestia, quæ est in irâ & metu, voce indicatur à multis. Quædam animalia, dum sentiunt jucunditatem adfectûs Venerei, peculiari eam voce in congressibus subindicant, ut sues, capri &c. Quomodo etiam ranarum mares Ololygine suâ fœminas ad coitum incitare scribuntur l. 4. Hist: animal: c. 9. Videntur quidem & animalia ἀλογα appetere utile, ut, cum nidos exstruunt, cibos distinguunt, cum cervus dictamum pro tuēda incolumitate quaerit: aves araneos, &c., ut hinc Rhodiginus hæc scriptum iverit: *Bestiis naturæ sponte perspecta cognitaq; videntur, quæ profunt, quæq; nocumento sunt. Aliquibus etiam industriâ quadam naturali herba, quibus medica vis inest, nota sunt: Item vitæ necessaria multa: l. 24. lect. Antiq: c. 29. p. m. 947.* Quicquid hujus sit, non tamen appetunt ista sub ratione utilis. Quicquid sub ratione utilis appetitur, id appetitur propter finem Civitatis, seu propter beatitudinem civilem: id enim



enim propriè utile dicendum, quod propter hunc finem est. Idem existimat Philosophus, dicens: *Utilia honestorum causa suscipiantur* l. 7. Pol: c. 14. (15.) Honesta, ut supra innuimus, sunt actiones Virtutis, in quibus consistit beatitudo civilis. Idem studere videtur Eustrat: quando ita ait: *Quod enim utile est, vice quasi ministrifungitur, ad aliudq; spectat: i. e. ad finem, ad quem refertur, cuiq; utile est. Bonum verò, ut finis, ex se perfectionem habet: est ipsum per se, & non ob aliud expetendum* comm: in lib: 1. Eth. Arist: c. 5. §. 22. Hinc etiam iusta, quæ tanquam media ad beatitudinem civilem ordinantur, & utilia, Philosophus ad invicem permutat, l. 1. Pol. c. 2. Jam verò prædicta animalia aliquid propter beatitudinem Civilem, seu propter Honestatem appetere non possunt, cum sint ratione destituta, adeoq; non appetunt sub ratione utilis, sed potiùs sub ratione ejus, quod jucundum est, & molestiam eripit, & quidem illud jucundum, quod tactu & gustu percipitur: iis binis sensibus bruta maximè valent, unde etiam eosdem *sensûs belluinos* vocat Philosophus l. 3. Eth: c. ult. Visu, auditu, olfactu, jucunda & molesta tenuiter, vel vix innotescunt. Cùm igitur animalia bruta utile & noxium appetere nequeant, quâ igitur voce suâ idem possent significare? Diximus autem quòd vox quibusdam tantùm animalibus brutis data sit, nempe iisdem, quibus non desunt edendæ vocis instrumenta; Esse enim quædam animalia, docet Philosophus, quibus neq; vox, neq; instrumenta ad eandem, à natura data sunt. l. 2. de anima text: 87. & l. 4. Hist. Animal: c. 9. His ultrò citroq; excussis, redimus ad lineam, ad ea sc; quæ diximus, orationem homini à natura non frustra datam, sed ad actionem virtutis, seu honestatem, seu beatitudinem civilem

civilem, hæc enim idem esse, ex prædictis colligere facile est. Si oratio data est in finem honestatis, necesse est, homo, quem oratione natura instruxit, sit tale animal politicum, cujus finis sit honestas, seu beatitudo civilis,

§. 9. Sua quorumq; animalium politicorum beatitudo est eorundem finis. Ex ante dictis facile constat, quæ sit differentia inter beatitudinem animalium Politicorum, quæ unicè ex sensu vivunt, & illorum, quæ ratione prædita sunt. Animalium politicorum ἀλόγων beatitudo est vitæ jucunditas, animalium verò Politicorum, ratione præditorum beatitudo est actio Virtutis, seu vitæ honestas, quæ in actione virtutis consistit. Beatitudo ratione præditorum, nempe hominum, i. e. honestas vitæ, longè præstantior est beatitudine ἀλόγων, scil: jucunditate vitæ, quæ ex sensu est. Nam tria sunt bonorum genera, bona animi, corporis & fortunæ, idem docet Arist: l. 1. Eth. c. 8. §. 3 *Bona tres in partes sunt distributa, aliæq; externa, alia animi, alia corporis.* Et rursus l. 1. m. m. c. 2. *sunt bonorum alia in animo, ut virtutes: alia in corpore, ut sanitas, pulchritudo: Alia externa, opulentia, dominatus, honor, & si quid est hujusmodi: Conf: Arist. l. 2. Eud: c. 1. l. 7. Pol: c. 1. l. 1. Rhet: c. 5. His consentit Diogenes Laërtius in vita Plat: pag. m. 200. Beatitudo civilis, seu honestas vitæ est bonum animi, nam est operatio anime secundum rationem l. 1. Eth. c. 6. Jucunditas verò vitæ, illa ex sensu, quæ consistit in sanitate & aliis, est bonum corporis. Jam verò bonum animi præstantius est bono corporis. *Animi sanè bona in primis & maxime propria bona dicimus. l. 1. Eth: c. 8. Bona, quæ in animo sunt, sunt optima l. 1. m. m. c. 1. Bona corporis non sunt bona simpliciter, sed cum addito tantùm; Hinc Seneca: Corporum bona**

*bona corporibus quidem bona sunt, sed in totum non sunt bona.*  
 Ep. 71. p. m. 668. Adeòq; honestas vitæ longè præstantior  
 est jucunditate, quæ ex sensu percipitur. Deinde jucundi-  
 tas, quæ ex honestate percipitur, longè major est jucundi-  
 tate, quæ ex sensu, nam illa jucunditas animâ percipitur,  
 hæc verò corpore; Jucunditas vero animæ major est ju-  
 cunditate corporis. Ideo dicit Philosophus: *Quæ stu-  
 diosis honestatis sunt jucunda, ea naturâ sunt jucunda ac vo-  
 luptuosa: Tales autem sunt actiones, quæ ex Virtute proveniunt.*  
*Ipsorum autem vita voluptate quasi appendice aliquâ minimè  
 eget, sed in se eam habet. Præterea enim, quæ dicta sunt, qui  
 bonis actionibus non delectatur, bonus minimè est; Neq; enim  
 vel justum quempiam dixeris, qui justè agendò non delectatur:  
 Vel liberalem, qui liberalibus actionibus non gaudeat, & in  
 aliis simili modò. Quod si ita est, actiones secundum virtutem  
 per se jucunda sunt: Quæ etiam bona & honesta; atq; unum-  
 quodq; horum maximè. Optima igitur, pulcherrima, & jucun-  
 dissima res est felicitas civilis l. 1. Eth. c. 9. Tandem honestas  
 seu bætitudo civilis non excludit jucunditatem ex sensu,  
 quæ consistit in bonis corporis, imò talem majorem sibi  
 habet conjunctam jucunditatem, qualis ex sensu percipi-  
 pitur. Equidem animantia bruta plus virium habent in  
 corpore ad asserendam vitæ jucunditatem, & ad propul-  
 sandam molestiam, quàm homines: Nam natura suis illa  
 non tantùm armavit armis, sed etiam iisdem commodè  
 uti docuit. Quædam natura armavit testis, quædam villis,  
 quædam seris, pilis seu squamis, cornibus, dentibus &c;  
 de quibus Cic: ita scribit: *Bestiarum alie corijs tectæ sunt,  
 alie villis vestitæ, alie spinis hirsutæ, plumâ alias, alias squamâ  
 videmus obductas: Alias esse cornibus armatas, alias habere*  
 D effugia*

*effugia pennarum* l. 2. de natura Deorum p. m. 319. n. 121. Suis  
 quamq; bestiam natura docuit uti armis: nam omnis bestia  
 contra injuriam, sibi illatam, statim quærit subsidium in  
 usu illius, quod loco armorum natura concessit: Bos se de-  
 fendit cornibus, aper dente &c. Idq; solâ duce naturâ.  
 Idem advertit Xenophon l. 2. de Instit: Cyri p. m. 56. Dum  
 ibidem ait: *Animantium quælibet aliquam pugnam novit,*  
*quam non aliunde, atq; ab ipsâ naturâ didicit. v. gr: Bos cornu*  
*ferire novit, equus unguâ, canis ore, dente aper. Atq; etiam*  
*omnia hæc animalia cavere sibi ab iis nôrunt, à quibus est ca-*  
*vendum maximè, tamet si nullius unquam magistri ludum*  
*frequentaverint.* Similia sunt, quæ Cicero habet l. 2. de na-  
 turâ Deorum, p. m. 321. n. 126. & 127. *Fam verò illa etiam*  
*notiora, quanto se opere custodiant bestia, ut in pastu circum-*  
*spectent, ut in cubilibus delitescant. Atq; illa mirabilia. Quid*  
*ea, quæ nuper, id est paucis antè seculis, medicorum ingeniis*  
*reperta sunt? Vomitione canis purgare alvos, ibes Ægyptiæ*  
*curant. Auditum est, pantheras, quæ in barbariâ venenatâ*  
*carne caperentur, remedium quoddam habere: quo cum essent*  
*use, non morerentur: capras autem in Cretâ feras, cum essent*  
*confixæ venenatis sagittis, herbam querere, quæ dictamus vo-*  
*caretur: quam cum gustavissent, sagittas excidere dicunt è cor-*  
*pore. Cervæq; paulò ante partum perpurgant se quâdam*  
*herbulâ, quæ fefelis dicitur. Fam illa cernimus, ut contra me-*  
*tum & vim suis se armis quæq; defendat. Cornibus tauri,*  
*apri dentibus, morsu leones, alix fugâ se, alia occultatione tu-*  
*tantur: atramenti effusione sepia, torpore torpedines. Multa*  
*etiam insectantes odoris intolerabili fœditate depellunt. H. J.*  
 E contrariò in corpore homo vel parum, vel nihil virium  
 habet, non habet tales dentes, quibus se defendere possit,  
 neq;

neq; unguis, neq; alia ejus generis. Idem observat Plinius, qui de his citatur apud Rhodig: l. 24. lect: antiq: c. 29. dum ait: *Hominem tantum natura nudum, & in nuda humo naturali abjicit die ad vagitus statim & ploratum.* Quibus genuina quoq; habet Sen; qui, *ceteris animalibus, ait in tullela sui satis virium est: Quaecunq; vaga nascuntur, & actura vitam se-gregem, armata sunt.* Hominem imbecillitas cingit, non un-guivum vis, non dentium, terribilem ceteris fecit l. 4. de Be-nef: c. 18. p. m. 442. Ut ut homo in corpore parum virium ad propulsandas injurias habeat, habet tamen in animo, seu in ratione plus virium, quam omnes bestiae vires ha-bent in corpore: lis enim adjutus homo, societatem colit, in ea talia adjumenta, rationis beneficio comparata, in-venit, ut omnes bestiarum vires corporeas eludere possit, & superare. Eò digitum intendit Seneca, quando ait: *Nil aq; concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quam in-grata mentis vitium.* Nam quò aliò tuti sumus, quam quòd mutuis juvemur officiis? Hoc unò instructior vita, contraq; in-cursiones subitas munitior est beneficiorum commerciò. *Fac nos singulos, quid sumus? praeda animalium ac victima, ac vi-lissimus ac facillimus sanguis.* Post quaedam interjecta hæc addit: *Hominem nudum & infirmum societas munit.* *Duas res natura dedit, quæ illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem, & societatem* l. 4. de benef: c. 18. p. m. 441. Idem explicatiùs docet Rhodiginus, qui sic disserit: *Ho-minem tantum nudum & in nuda humo naturali abjicit die ad vagitus statim & ploratum, uti gravissimè Plinius scribit.* Sed enim omnium locò divina illi ratio est attributa, cujus illustra-tione longè plura manuum adminiculò valeat comparare. *Que tamen usu multiplici unus haud quaquam aliquis im-pleverit*

pleverit. Proindeq; in solitudine non sine incommodis quam-  
 plurimis & maximis degere queat aliquis l. 24. lect: Antiq;  
 c. 29. p. m. 949. Quid! non potest beatitudo civilis seu ho-  
 nestas, aut actio Virtutis obtineri, nisi adsit ei quoq; ju-  
 cunditas vitæ, quæ est ex sensu, seu bona corporis, in qui-  
 bus illa consistit, nempe sanitas, divitiæ, facultates. Illa  
 enim bona corporis, sunt instrumenta, quibus beatitudo  
 civilis obtinetur, id quod fusè docet Philosophus, quando  
 ait: Videtur tamen ipsa beatitudo, externis bonis, sicut diximus,  
 indigere. Fieri enim non potest, vel non facile fit, ut cui ne-  
 cessaria non suppetunt, is bona atq; honesta agat. Multa et-  
 enim & per amicos, & divitias, & civilem potentiam, quasi per  
 instrumenta quadam, aguntur. Quibusdam verò privato  
 nonnulli, veluti nobilitate, bonâ prole, pulchritudine, beatitu-  
 dinem maculant. Non enim felicitatis admodum compos-  
 ille est, qui vel specie prorsus deformis, vel genere ignobilis, vel  
 solitarius ac prole carens. Nec minus etiam fortasse, si alicui  
 pessimi filij fuerint, aut boni mortui. Videtur igitur tali etiam  
 prosperitate indigere felicitas, lib. 1. Eth. c. 9. Et alibi, ubi  
 confutaturus eos, qui negant civiliter beatum indigere  
 amicis, dicit: Cum bona omnia felici attribuamus, amicos non  
 tribuere, absurdum videtur: Quod amicus ex externis bonis  
 raaximè videtur. l. 9. Eth: c. 9. Nec Cicero bona externa,  
 ex quibus jucunditas corporis percipitur, à S. B., seu bea-  
 titudine civili sequestrat, quibus, inquit, qui non utatur,  
 felix nullo pacto esse potest. Idem accepisse legimus Rho-  
 dig: l. 3 antiquarum Lction. c. 9. p. m. 81. Quam obrem,  
 inquit, bonis, quæ quidem corporis, quæq; externis, quin & ipsa  
 indiget fortunâ, (videlicet felicitas civilis) ut non ingerat  
 se obex aliquis. Qui verò adstruunt, eum, qui rotâ torqueatur,  
 &

*Et magnis conflictetur malis, felicem esse, sit modò bonus, nihil profectò dicunt, aut sua sponte aut invitè. Et paulò antè dixit: nulla namq; operatio, perfecta est, si (scil: calamitatibus) prapediatur, sed actus est perfectissimus felicitas. d. l. i. Antiq. Lect. c. 9. Ex quibus omnibus innotescit, quòd, cum beatitudo civilis seu honestas vitæ sit præstantius bonum quàm jucunditas ex sensu: & jucunditas, quæ honestati conjuncta est, sit major jucunditate, quæ est ex sensu: tandem honestas vitæ quoq; includat jucunditatem, quæ est ex sensu, finis hominis, quæ est animal politicum, præstantior sit fine cæterorum omnium animalium politicorum. Cujus verò animalis Politici finis est præstantior, quàm finis omnium animalium politicorum scil: ἀλόγων, ejus vita civilis præstantior est, atq; aded est magis animal civile seu Politicum. Cum hæc omnia vera sint de homine, manifestum est, hominem esse magis animal politicum, quàm cætera omnia animalia politica, quæ ex mero vivunt sensu. Idem accepit Aristoteles, quando expressius ait: *Ex quo patet, politicum animal esse hominem magis, quàm omnes apes, & quàm omne gregarium animal. l. i. Pol: c. 2.**

§. 10. Hactenus ostendimus, hominem, non solum esse animal politicum, sed & magis politicum, quàm cætera animalia politica: procedente eorundem demonstratione diximus inter alia, quòd homo sit pars civitatis, civitas verò totum. Totum est naturâ prius partibus, quia pereunte totò, pereunt partes, sed non pereunte parte, perit totum, v. g. pereunte homine, tanquam toto, non erit pes, nec manus, nisi æquivocè, nam pars aliqua est totius gratiâ, ut officium aliquod in toto præstet: Quod si pars illa non facit officium suum, tum non est propriè pars: *Omnia enim opere definiuntur & facultate l. 4. Meteor: c. ult, & l. i. Pol:*

c.2. v.g. Oculus erutus non est propriè oculus, manus abscissa non est propriè manus, sed æquivocè. Id verò dicitur naturâ prius esse, quò pereunte, alia pereunt, pereuntibus verò aliis, ipsum non perit. Cùm igitur Civitas sit totum, & homo sit pars ejus, quod superiùs probavimus: resultat, civitatem esse naturâ priorem homine. Eadem profert Aristoteles, dum ait: *certè secundum naturam prius est civitas: quàm domus, & quàm singuli nostrum: Nam totum prius esse, quàm partem, necessarium est. Peremtò enim totò, non erit pes, nec manus, nisi æquivocè.* l. i. Pol: c. 2. Dices: Aristoteles definivit civitatem, seu pagum, societatem primam: Domum appellavit, primarum societatum congregationem. Què ergò civitas naturâ prior esse potest? Respondetur, vicinitatem, domum &c: priorem esse civitate, *sed generatione*, prout testatur Philosophus l. 8. Eth. c. 12. l. i. Oeconom: c. 3. seu ortu & origine; non verò perfectione. Ratione perfectionis civitas omnibus illis prior est, unde illud, quod Arist: hinc inde habet: *Quod ortu prius est, id naturâ & perfectione est posterius.* Ex hoc fundamento Hyppodam: Thurius Pythagoreus libr: de felicitate, citantibus Stobbæo, & Diogene Laërt. in fragmentis quorundam Pythagoreorum, p. m. 673. dixit: *Non esse solem, neq; stellas, nisi sit mundus.* Ex eodem quoq; dicere possumus: Nisi sit civitas, non esse vicinitatem, nisi sit vicinitas, non esse domum; nisi sit domus, non esse societates simplices: nisi sint societates simplices, non esse hominem. Hæc sufficient.

ADDI-



# ADDITAMENTA.

141

## I.

**C**ivitas est à naturâ, & non est à naturâ: Anaturâ est, si consideramus eam, quatenus est propter vivendum; Non est à naturâ, si consideramus, quatenus constituta est, propter benè vivendum, sed sic est à prudentiâ. Per benè vivere intelligitur nihil aliud, nisi benè agere; jam verò bonæ actiones scilicet morales, quas hic intelligi necesse est, non sunt à naturâ; sed ab habitu virtutis, quem dirigit ratio, seu vir prudens, docente Philosophô. l. 2. Eth. c. 6.

## II.

Triplex est appetitus, voluntas, proæresis, & appetitus sensitivus. Quidam subjectum virtutum moralium reputant esse voluntatem, ut Scotus; Alii proæresin; Alii verò & voluntatem & appetitum sensitivum, ut Thomas; Nos verò unice appetitum sensitivum. Ratio hæc est, quia virtutes morales, teste Plutarcho l. de virtute morali, c. 10., sunt mediocritates perturbationum, seu sunt perturbationes ad mediocritatem revocate, seu ut Aristot. docet, sunt habitûs, quibus probè affecti sumus in perturbationibus, l. 2. Eth. c. 4. Jam verò perturbationes non sunt in proæresi, neq;  
in

144  
in voluntate, sed unice in appetitu sensitivo, quod idem  
docet Cicero. l. 1. § 4. Tuscul. Quæst., & Thomas in  
primâ secundæ q. 22. art. 3. Sunt enim perturbationes  
motûs facultatis sensitivæ, ut docet Plutarchus lib. de  
virtute morali. c. 10.

### III.

Qui lecto adfixus, pertinaciter morbo conflicta-  
tur, nec cum illo unquam in gratiam redire potest, in  
eum frustra quis S. B. cadere posse contenderit. Nam  
S. B. est operatio secundum virtutem perfectam l. 1.  
Eth. c. 8. idest, secundum justitiam universalem, seu  
virtutem universalem; qui autem perpetuo collucta-  
tur morbo, is non potest virtutem universalem, seu  
omnes virtutes exercere, non potest exercere fortitudi-  
nem, &c. Deinde, S. B. est operatio secundum virtu-  
tem optimam, d. l. apud Arist.; Virtus verò optima est  
virtus imperantis; ast cujus corpore se viunt nun-  
quam desituri morbi, quomodo is imperare? quomo-  
do per consequens virtutes imperantis  
exercere potest?




Lp 329  
8

1000

200







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

OCTAVA  
REMA-  
TICORUM,

*ens,*  
naturâ animal  
cum,

ante Deo,  
cultatis Philosophicæ,

ALBERTINA,  
nt,  
ES  
GIUS à Göttingen /  
Philosoph. D.

ENS  
BOKEN,  
Frisius.

ô horisq, consuetis  
73.

ONTI,  
REUSNERI.